

Disputatio medica sistens aegrum laborantem vertigine ... / [Christian Friedrich Gerber].

Contributors

Gerber, Christian Friedrich, active 1682-1683.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis viduae Samuelis Krebsii, [1682]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/za2qqczh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA

sistens

ÆGRUM LABORANTEM
VERTIGINE,

Quam

PRÆSIDE

VIRO

*Nobilissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo*GEORGIO VVOLFF-
GANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theoret. Prof. Publ. Archiatro

Duc. Saxonico, & S. R. I. Academ. Natur.

Curios. Adjuncto,

*Dn. Præceptore, Patrono, atque Stu-
diorum suorum Promotore maximè colendo,*

in Auditorio Medico

publicæ Φιλιάτρων disquisitioni exponit

RESPONSURUS AUCTOR

CHRISTIANUS FRIDERICUS GERBERUS,

ZITTA LUSATUS.

Add. Maji. A. S. R. M DC LXXXII.

J E N Æ,

Typis VIDUÆ SAMUELIS KREBSL.

DICTIONARY

GENERAL

VER

GEORGIO WOLFE

CANON

THEO

CHURCH

CHURCH

DR

CHURCH

CHURCH

CHURCH

CHURCH

CHURCH

CHURCH

CHURCH

CHURCH

CHURCH



L. N. J.

P R O O E M I U M.



T, juxta Poetam, omne animi vitium
tantò conspectius in se crimen habet,
quantò major, qui peccat, habetur; ita non
minus id de corporis malis verum est.

Linquamus aliis suas lites, an cordi, an
cerebro principatus cedat, satis nobis fuerit, viscus esse
nobilissimum cerebrum, instar pretiosissimæ mercis plu-
ribus integumentis tectum, ut eò minus externis pateret
injuriiis.

Nullum in toto corpore reperitur huic simile, vel
majoribus pluribusve expositum morbis, adeò quoad o-
mnes velut particulas diversimoda ipsum vexant mala.

Non cum corde solùm sororiatur, & amicabili gau-
det eoque continuo vinculo, nulla pars est, quæ non cum
regiâ hâc microcosmi communicet, quod ipsi malè est,
vel ex ipsis pedibus non rarò adscendente aurâ, turbante
motores spiritus.

Hîc universalis sensus est omnium malorum, non
mirum ergò & omnes partes vicissim participare de ma-
lis ejusdem. Missis reliquis in circulari vertigine curandâ
placuit exercere ingenium, quod ut prosperet divinum
numen, rogamus.

Historia.

Vlr XXX. annorum, habitûs corporis athletici, temperamenti sanguineo-phlegmatici, cùm ante aliquot annos militiæ se nuncupasset, frigido cœlo, victui duriori, vini largiori potui & erroribus diætæ aliis adſuetus, cibis usus leguminosis, pinguibus, infumatis, cæpis, vigiliis totam sæpè noctem transigens, corporis exercitiis equestribus & aliis deditus, motui magis quàm quieti indulgens, præcipuè verò tabaci fumo dies noctesque trahens, postquam defluxione catarrhali sat gravi in brachio dextro aliquandiu laborasset, citrà observatam diætam, vel adhibita medicamenta, à sex mensibus hætenus lentit quotidie bis vel ter ex improvise rotari caput, inprimis manè jejuno corpore, cum tinnitu aurium, & quâdam quasi ἐκλύσϛ, ut firmare se & niti brachiis in obvia cogatur, à cibo melius habet, caput debile est, edit & bibit, & cœtera ὅςθ' ὁσάδιⓄ est. Petit consilium.

Ἐξήγησις.

Affectum, cum quo æger noster conflictatur, ex relatis circumstantiis VERTIGINEM pronunciamus, quæ ad symptomata actionum læsarum à medicis refertur. Cùm autem actiones sint triplices, earumque læsio triplici modo fiat, in præsentī affectu actiones animales, quæ sensu & motu

motu absolvuntur, affectæ, & hoc loco depravatæ sunt, non quidem quoad iudicium, attamen quoad receptionem, & per consensum; neque enim delirium adest, sed saltem, salvâ rectè cogitandi & imaginandi, facultate, objecta per se immota rotari tamen & turbinari videntur.

Hinc VERTIGO Latinis dicitur à vertendo, quod ægri talismodi in gyrum seu orbem quasi continuo, stante paroxysmo, verti & circumgyrari sibi videantur. Græcis est δῖν, ἀπὸ τοῦ δινεῖν, quod est circumagi seu rotari, quâ voculâ utitur *Galenus Comment. 4. in lib. de rat. vict. in morbis acutis, t. 42* dicens: ὅταν ἡ κεφαλὴ περιφέρεται παντά-
ζηναι, δῖν ὀνομάζεται τὸ πάθος, quando caput circumrotari vide-
tur, vertigini huic affectui nomen est. Alio nomine à Græcis vocatur ἰλιγος, quod Latinis est vortex, ex εἰλέω verto seu volvo, quo termino utitur *Hippocrates 3. aph. 17.* cum addito ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, ut & 23 & 31. Eidem alibi, & *Galeno l. c.* dicitur σκο-
τώδης & σκοτόδιν, à voce σκότος, tenebræ & hæc Latinis nomi-
natur tenebricosa, quando gradu aucto tenebras offundit. Germani exprimunt, der Schwindel/wenn alles mit einem umb den Kreis gehet.

Quod si differentias affectus hujus lustremus, est hæc ipsa in nostro agro vertigo morboſa & præternaturalis, contradistincta non morboſæ, quæ ab errore externo in rebus nonnaturalibus & similibus, ut intuitu ab alto, transitu pontium, navigatione aut vectione in curru, ab ebrietate vel fumo tabaci, circumgyratione corporis aliisque proficiscitur, etiam in aliis sanis. Vid. *Hildesheim. spicil. V. aff. cap. p. 447.* & *Willis. in patholog. p. 356. 357.* Est affectus primarius, seu sibi relictus, non comitatus, ut in lipothymiâ, apoplexiâ, & cæteris, à positivâ vel privativâ causâ hunc focium adfisciscentibus, aliis visitur.

Si quærat ex nobis, utrum hæc ipsa ad simplicem, an tenebricosam, an caducam sit referenda; respondemus hæc ipsa epitheta non notare specie distinctum morbum, sed gradus, nil obſtare tamen, quin dicamus exprimere eadem genui-

nuinam formam ejusdem, & in quâvis vertigine morbosâ & perfectâ eademphænomena concedi posse.

Vti enim certum est in omni vertigine esse circumrotationem; ita quid aliud notat tenebricositas seu σκοτώμα, quàm imminentem ἐκλυσιν; quid caducum, quàm metum sublapsus, seu, ut cum *Helmontio* loquamur, sensum & motum cespitare, *l. retenta. p. m. 382*? Neque enim ὁρθοστάδοι æquè subsistere hinc in paroxysmo possunt, sed corpus totum motu tonico vacillat, ut desidere, vel decumbere malint, vel cogantur, ipsius ægri nostri exemplo.

His itaque præmissis ad accuratiorem affectûs præsentis evolutionem nobis pergendum est, quæ facilius fieri non potest, nisi accurato signorum examine. Eleganter ait *Seneca Epist. 57*. Omnia vitia in aperto leniora sunt, morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, atque vim suam proferunt. Hospitem hinc peregrinum adesse, probatur

(1) EX ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS, seu Pathognomonicis, quæ sunt turbulencia capitis, & objectorum persuasa agitatio ac rotatio, bis vel ter de die recurrens, idque citra ullam causam externam.

(2) Confirmant idem ESSENTIALITER CONSEQUENTIA, vulgato nomine, Symptomata varii generis. In *facultate animali*, caput est debile, motus est depravatus, inordinatus & involuntarius, infirmitas artuum, ut cum firmiter æger se incedere credat, præter spem, nisi, quibus nitatur, obvia sint, vacillet & cadat. In *naturali*: Appetitus quidem adest, ut edere & bibere possit, interim tamen ventriculus vitio suo non carere videtur, quia jejuno corpore malum ingravescit, satiato verò ventriculo æger se habet melius. In *vitali*, ἐκλυσis seu animi deliquium; in *qualitatibus mutatis* tinnitus aurium.

(3) CAUSÆ prægressæ non sunt infirmiores, ut calculus addant. Errores enim enormes in rebus sex non-naturalibus, aliaque, postea pluribus enarranda, occasionem malo abundè dederunt.

(4) Non

(4) Non dissentit SIMILITUDO, siquidem, factâ collatione cum aliis, simili symptomatum syndrome affectos à prudentibus Medicis pro vertiginosis haberi constat.

SUBJECTUM PRINCIPALE est cerebrum, adæquatum est totum caput. Non attinet hîc quærere, an in anticâ vel posticâ parte præcipua sedes vertiginis ponenda sit, licet *Willis, Anat. cerebri p. 106.* Subjectum adæquatum ponat corpora callosa & striata cerebri, tanquam sedem phantasiæ & sensus communis; cum ex circumstantiis facile constet, totum cerebrum sentire hoc malum, quousque nimirum ipsorum spirituum animalium patet dominium.

Afficitur partim quatenus est pars similis, spirituum & lymphæ justâ temperie gaudens; partim quatenus est dissimilis, poris suis ritè conformatum pro spirituum itu & reditu citato, ordinato & directo. Pati verò cerebrum actiones animales læsæ in sensu & motu patefaciunt; in sensu quidem, læsâ, quamvis citra delirium & per consensum, phantasiâ; in motu verò, metus sublapsus in terram, quæ cum non possint fieri sine spiritibus animalibus affectis, hos verò dispenset officina eorum genuina, cerebrum, facile patet, illud affectum esse statuendum. Et quidem non remotè, quoad hunc actum, sed proximè. Non scilicet fingunt hæc sibi oculi, non in bulbo visivo rotantur solum vitiôsè, sed intimius in ipsâ cerebri camerâ turbantur spiritus, cum & in cæcis certo experimento vertigo accidisse observata sit. Oculi igitur, non nisi remotè & adæquatè afficiuntur.

Cum verò dupliciter pars aliqua afficiatur, vel per essentiam, vel per consensum; in nostro ægro maximam mali partem hære quoad focum suum in infimo ventre certum est, præcipuè cum à positivâ magis quàm privativâ causâ eveniat hæc spirituum turbatio.

CAUSA IMMEDIATA est spirituum animalium motus indirectus & confusus. Spiritus hi sunt ex vitalibus per alcoholisationem in glandulis cerebri parati & elaborati, sensum & motum per totum corpus absolvunt, ideoque maxi-
mè

mè mobiles & agiles sunt, ut in instanti quasi lucidæ instar flammæ nervos irradiant & ad motum perficiendum disponant, tantâ celeritate, ut in momento maxima eorundem copia partem sensilem vel mobilem intret, eamque repleat. Ut verò radii hi lucidi gaudent quidem centro suo, & ad instar solis vel lunæ radiorum, evoluti in lineâ rectâ huc illuc destinati feruntur; ita quando rectitudo hæc tollitur, quando non æqualiter influunt, sed rotantur quasi & nutant, præstò est vertigo. Ista cum eveniant in statu naturali, haud erit grave eruere, cur in præsentī agro tam perversus spirituum animalium motus animadvertatur. Spirituum enim œconomia turbata hospitem peregrinum amplecti non valet, sed omnibus viribus, ut repellatur, laborat, hinc spirituum confusio, inordinatio & depravatio oritur.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, quoad *essentiam*, accusanda maximè est vaporosa, humori tamen vitioso tanquam mineræ tribuenda. Cumque duplex statuatur vapor, tenuis & halituosa præ crassâ magis in nostro peccat agro exhalatio. Hinc cum aura spiritalis in *τοῦ* suâ erat retinenda, ut ordinario modo in nervos influeret, eosque irradiaret, sicque tota humana conservaretur machina; En, ex improviso vapor quidam heterogeneus malignus particulas has maximè agiles inficit, & caractere peregrino maculat, unde, licet archéo hanc inconvenientiam renuente, statim ordine dejiciuntur, sicque confusi spiritus motum perversum planeque p. n. subeunt. Ut radii lucidi, directè cæteroqui lati, fumo sese attollente disturbantur, ut nutent, & undulando saltem objecta feriant; ita spiritus, lymphâ halituosâ vecti, abripiuntur ex ordine & sursum quasi lati retrò adacti gyran-
tur in orbem. Peccant igitur spiritus ipsi non in quanto, sed in quali.

Ex Chemicis principiis accusari potest mercurius resolutus, qui hoc loco inflat & turbat œconomiam regiminis sanctioris. *Sylviani* vaporibus impuris ex effervescentiâ bilis & succi pancreatici vitiosâ affectum adscribunt. Juxta

Helmontium particulæ sanguinis & spirituum impropor-
tionatæ, & in gas vitiosum resolutæ, inculpandæ, unde virus ro-
tans exurgit, ex mucilagine putridâ in amarorem pronâ in
ventriculo conceptum. Tacemus, ex *Harveji* hypothefibus,
circulationis sanguinis inordinationem.

Quoad *modum effendi* vapores hi, &, in quibus locum su-
um agnoscunt, humores peccant *quantitate*, obruendo & tur-
bando spiritus; *qualitate*, agili, volatili, mobili, calidâ; &
motu, generationis & locali.

Generata fuit *extra locum affectum*, in infimo ventre, à
primæ culinæ quisquiliis; ventriculo, intestinis, hypochon-
driis, quæ partis *mandantis* vicem sustinent, ut *recipientis* debili-
us cerebrum, De viis verò & modo communionis non una
autorum mens est. Liceat nobis utrumque consensum
conjungere, positivum & privativum, hunc per nervos & po-
ros, illum per arterias latum statuendo. In ventriculo materia
acris, acida, viscida, biliosa manè jejuno stomacho, cum non
suppetat, in quod agat, resoluta parietes & inprimis orifici-
um ventriculi superius nerveum vellicat, molestaque sensa-
tione afficit, quæ cum nervis sexti paris communicata insigni-
ter molesta est, spiritus turbat, atque in statum depravatum
conjicit. Satiato verò ventriculo, ubi fermentum vitiatum
invenit, quod jugo suo submittat, affectus cessat & æger se
melius habere incipit. Latitantes enim sine dubio reliquæ
quædam ciborum in ventriculo non penitus subactæ, & for-
san, si probè omnia succedant, ad fermenti propagationem
destinatæ, accumulatæ vitiose rarefiunt, & sic in formâ vapo-
rum caput replent, & spiritibus molestim inducunt turbatio-
nem. Patet hoc in iis, juxta *Helmont.* qui hesternâ crapulâ o-
nerati, manè, vacuo cibus stomacho, vertigines patiuntur.
Vid. *Tr. Pylorus Rector.* p. 142, 23. Talismodi verò rarefactio
excitari & produci potest, à calore debili cruditates pituito-
sas & viscidas subigere nesciente, unde in succum & sangui-
nem converti non possunt, sed vitiosè rarefiunt & attenuan-
tur, Nullum verò de hâc minerâ latitante dubium est, cum

errores diætæ, quos sub causis non-naturalibus perstringemus, clarius id patefaciant.

Pertinet huc *G. Hornii* hypothesiſ, qui à pyloro patente, & ſordes ex inteſtinis attrahente vaporem illum arceſſit. *Arc. Moſ. p. m. 170.* Ut verò triſtis hæc ſenſatio ſufficere poteſt aliquando & leviori malo, ita ipſe ille vapor peregrinus, heterogeneus, malignus, vitio ventriculi vel viſcerum in abdominis cavitate contentorum genitus, quam *Williſius* materiam irritativam vel in ſplene, vel pancreate aut inteſtinis commotam, dicit, per arterias carotidas elevatus, ſpiritibus animalibus mixtus meritò accuſatur.

Diſta confirmat *Galenus l. 4. de rat. diſt. acutor. t. 42.* ubi materiam vaporoſam vertiginis cauſam ſtatuens: Vertigo fit, ait, ob flatuoſi ſpiritus inordinatam motionem, qui vel in capite localem habet generationem, vel ſurſum ex infernis fertur partibus. Contrariam verò ſententiam fovet, vaporesque damnat *Williſius*, aſſerens, in jejunantibus vertiginem fieri, quod fibræ & filamenta nervoſa ſucco nutritio, quo irrigari amant, deſtituta, corrugari & ſpasmus leniores inire ſoleant, ſicque non vapor aut exhalatio vitioſa, ſed fibrarum ſpaſmodicus motus accuſandus ſit, quod tamen ſi univerſaliter accipiatur, experimentis minus reſpondet.

EX CAUSIS MEDIATIS REMOTIORIBUS NATURALIBUS primo loco eminet TEMPERAMENTUM, quod in ægro noſtro eſt ſanguineo-phlegmaticum. Arguit hoc particulas ſulphureas, oleoſas, baſſamicas à lymphâ aliquo modo ſubjugari, adeoque faciliùs accidere poſſe, ut ſerum characterem peregrinum induat. Inde non tantum, caloris reſpectiva debilitas ſi accedat, vapores & exhalationes vitioſæ noxiæque caput petentes generari queunt, qui œconomiam ſpirituum animalium afficiant & extra ordinem vertant, ſed ad catarrhos quoque, uti in ægro noſtro conſpicere licet, diſponitur corpus magis.

HABITUS CORPORIS quoque notandus, qui in ægro noſtro obſervatur athleticus; licet verò ejusmodi ſtatus
pro

pro bono, communi vulgi consensu, æstimetur, divinus tamen senex 1. *aph.* 3. eundem rectè σφαλερόν, lubricum & periculi plenum judicat, ideò quoque ἐν ἐξία hæc ægri nostri in deterius ruere cogitur, cum facile calidum ab humido eo casu obruatur, hocque in excrementitium degeneret.

Nec ÆTAS abludit, media licet & viribus satis potens. Neque enim senibus, elogio 3. *Aph.* 31, tam propria est vertigo, ut aliæ ætates excludantur; Quin & puerili quandoque molestus est, uti *Binningerus* fortem in filiâ decenni, *Cent.* 1. *Obs.* 58. & *DD.* *Preses* in puero xij annorum notavit.

NONNATURALES CAUSÆ, quæ in nostri affectûs declaratione suum ὑπὸ βάλλον μέγος maximè adjecere, exactius jam examinari merentur.

AER frigidus, cui se exposuit æger, corpori maximè infestus, & ut plurimum morbi hujus ferax est, quod *Hippocrates* 3. *aph.* 17. de statu austrino vertigines producente confirmat, & *ibid.* *aph.* 23. scribit, hyemæ vertigines frequentiores esse, hinc rectè *Celsus* frigus omni ratione vitandum esse, monet. Cum enim per externam ambientem cœli inclementiam tota crasis corporis nostri alteretur, partes nervosæ à frigore non vindicatæ lædantur, quod comprobatur *Hipp.* 5. *aph.* 17. & 20. à frigore nervorum distensiones derivans; humoresque serosi & pituitosi coacerventur, haud difficile seri corruptelam & vaporum exortum, propter calorem obtusum & debilitatum, ex eo quoque deducere possumus; quò & facit subita mutatio, è loco calido in frigidum corpus transferendo.

CIBUS & POTUS, quo multis modis deliquit, mali quoque non minimus autor extitit. Nam victum amplexus est duriores, concoctu difficilem & non εὐπεπτον & εὐχυμον, sed δύσπεπτον, siquidem cibi leguminosi, ut sunt lentescis, pisa, & oleracea maximè flatulenta habentur, ut *venerandus Senex lib. de nat. vict. in morb. acut. c.* 59. *t.* 8. testatur, ὅσπερ αἰτ, πέντα Φυσώδεα, καὶ ὠμά, καὶ ἐφθὰ, καὶ πεφρυγμύα, καὶ βεβεργμύα,

καὶ χλωρὰ Leguminoſa omnia flatulenta ſunt, & cruda & elixa, & frixa. tùm etiam macerata, tùm viridia. Cepas exaciuere humores, piſces induratos obſtructionibus viſcerum & lentori ſanguinis velificari, diætã omnem cacochymiam maximè invitafſe, ex recenſitis ſatis claret. Pinguia, quibus delectatus eſt æger, largiùs ſumpta, ventriculum quoque ſubvertunt & nauſeam pariunt, hinc debilitato ventriculo variæ ſubſecutæ ſunt inſolentiæ, quæ jam damnum parant non exiguum. Hinc & Hippocrat. de affectionibus c. 49. r. 8. pinguia humiditatem & pituitam excitare aſſerit. Cibi quoque huc faciunt inſumati, quibus liberiùs uſus eſt, ſicque ventriculum debilitavit, qui hæc neſciens concoquere, officio ſuo legitimè fungi non potuit, obortæ igitur cruditates in ventriculo, formâ vaporosâ caput replere, & præſentem affectum inducere potuerunt.

Accedit his vini & tabaci uſus immoderatus, quæ quantũ ad vaporofitatem & turbandos ſpiritus conferant, ex ebrietate & uſu tabaci in inſuetis ſatis patet. Utraque ſulphur vaporofum in lympham & ſpiritus derivant, unde particulæ ſanguinis efferæ & indomitæ redditæ, in cerebro ſpiritibus animalibus incongruè & improporcionatè occuſantes, eos huc illucque à ſolitis ituum redituumque tractibus abigunt, adeoque in vortices & gyros agunt. Vid. Willis. in patholog. p. 355. 356. Utraque etiam cerebrum lædunt, neque enim in adſuetis exceſſum omnem eſſe innoxium ſatis demonſtrat, quod non ſtatim æquè vertigo ſubſequatur, ſufficit vehiculum ſpirituum lympham conſpurcari, detrahi, & ineptam ſenſim reddi texturæ ſpirituum. Hinc non immeritò Helmont. cap. 9. de Lithiaſi p. 62. nimium tabaci uſum apoplexiæ dare initia, ſentit, & p. 63. l. c. in tabaco venenum inebriativum eſſe credit. Petr. Borellus Cent. 4. Obſ. 31. venenati quid tabaco ineſſe exindè evincere conatur, quod obſervaverit muſcas ut plurimum in officinis juxta tabacum mortuas.

M O T U S, quem æger crebriùs inſtituit, non ultimum meretur locum, cum notiffimum ſit, motum & quietem proportionata corpus ſanum ſervare, alterum verò excedentẽ ad ſtatum

fit atum p. n. disponere. Hinc cum sine dubio exercitia mox postpastum sæpè instituerit, chylus nondum elaboratus & crudior motu vehementi & spiritibus concitatis ἀσέως καὶ βίαιως in vasa coactus est, undè non mirum particulas illas sylvestres & crudiores postea adscendere, & ad cerebrum delatas maximum facessere negotium. Tacemus lympham à motu nimio plus justo rarefieri, exacui, pulsum reddi frequentiore, vires posterni, spiritus animales lassari & imminui, quæ singula suo modo & ad vertiginem producendam faciunt.

Nec indictæ abibunt VIGILIÆ, quæ continuâ agitatione primò lassant, hinc & turbant spiritus; unde non habuit quietem sibi debitam corpus, non robur expetitur ventriculus, evocato ad laborantis cerebri subsidium igne, non humectans refrigerium, somnum, cerebrum & spiritus animales. Quieto corpore animus tantò fortius motus est, ast hoc ipso motu plus sæpè lassantur spiritus, quàm ullo alio corporeo. Hinc concinne *Glissonius*, de *Rhachitide* agens, immoderatae, inquit, vigiliæ non modò alimentorum coctionem impediunt, ast insuper acrimoniam quandam sanguini inurunt, & insitorum spirituum defectum invehunt.

Si PRÆTERNATURALES causas lustremus, nec illæ defuere. Defluxio sanè catarrhalis sat gravis in dextro brachio, aliquandiu ægrum quæ afflixit, lymphæ inordinatae characterem præ se fert, indicio manifesto, & alibi eandem συν meditari & vitiose degere posse. Imò recursus non rarò observatus noxius, si ad cerebrum v. g. magis, quàm ad exteriora redundet. Suo relinquimus jam loco, an non æger ab insultibus epilepticis primis ætatis annis dispositionem ad vertiginem reportaverit. Esse verò affectus hos cognatos admodum tum utriusque collatio clarum reddit, tum id loquuntur observationes practitorum, ut etiam, si color in vertigine viridis vel purpureus oculis obversetur, epilepsiam imminere magis scribant.

Addi non minus potest latens affectus hypochondriaci

ac scorbuti genius. Non hic semper hypochondria quatit, non infimo ventre solum notas sui pingit, non pedibus vel gingivis affricat unice vitium; sæpe & sublimes affectat sedes, relictis minorum gentium diis, in cerebro virulentiam suam expandit, spiritibusque & in vertigine imperare satagit.

Quid mirum igitur, si ex hac copiâ variarum causarum diversa etiam sint secuta symptomata, quæ sub signorum notâ ex historiâ patent, & quorum jam ratio reddenda venit?

(1) *Objecta agitari & rotari videntur*, ob motorem peregrinum, halitus vitiosos, cum spiritibus remixtum, unde dum per poros nervulorum hinc inde sensum dispensare fatagunt, ipsi nutant, vacillant, & quasi prætervecti in seipos rotantur, unde & sæpe tenebræ obveniunt oculis. Rotatio ergo hæc capitis oritur à spirituum animalium ἀταξία & motu tumultuoso, à vapore tenui & momento resolubili orto, qui spiritibus immixtus, horsum vorsumvolvendo illos, repræsentat animæ objectorum quiescentium species mobiles.

(2) *Matutino tempore, jejuno corpore, præcipue paroxysmum experitur*, quod digestionem peractâ non demulceantur amplius suavibus roribus ciborum, & vacuo ventriculo exacuentur magis humores lymphatici salini.

(3) *Tinnitus aurium* fit à vaporibus tympanum intus ferientibus.

(4) *ἐκλυσις adest*, ob spirituum distributionem læsam, & circulationem sanguinis quodammodo inhibitam.

(5) *Firmare se & brachiis niti cogitur in obvia*, ob imperium motûs labefactatum, quandoquidem & portitores spiritus non animant satis musculos, & præcipue vix iis fidit archæus, qui in regia tumultus excitant, & rectoris vice fungi volunt.

(6) *Caput est debile, & turbulentum*, ob gravatos spiritus, moleculis impuris implicatos & vitiose rarefactos.

Quid igitur de statu ægri nostri dicendum sit, qualeque ferendum prognosticon, ex præcedentibus pensitatis concludendum. Et primò quidem **EVENTUS** seu **SALUTIS**

& **MORTIS** respectu. Quamquam affectus præsens non vilipendendus nec negligendus sit, cum ex variis medicorum observationibus pateat, sæpius vertiginem, levem saltem reputatam in principio, prodromum fuisse tum apoplexiæ, tum epilepsiæ, tum alius subitanei affectus, ut refert *Galenus 4. aph. 17. & 23.* unde & *Platerus* hinc scribit, se observasse mercatorem vertiginosum tandem caro periisse. Attamen indemnem pronunciamus, nec sinistrum sed exoptatum naturum exitum. Productior mora, ex negligentia ægri oriunda magis, quam vi morbi, unde qui succisus in radice non fuit, succrevit. Affectus non essentialis sed sympathicus ex infimo ventre cerebrum quatit; cætera recte habent. Paroxysmis interpolatur, unde ad instar aliorum similium inducias naturæ concedit. Per se non necat, nec metus est, (modò æger obsecundaverit, nec diutius protelet eundem ulteriori negligentia, vel diætæ erroribus, quibus hactenus usus est,) gravioris mali hunc esse prodromum.

TEMPUS EVENTUS quod concernit, cum morbus sit chronicus, non adeò citò finitum iri persuadere potest, quod causæ morbificæ insigni charactere cerebrum & massam sanguineam infecerint, quod jam satis diu duraverit, quod cerebrum sit debilius, ferè adfuetum, adeoque labes essentialis propemodum affricata: spondemus tamen durationem non adeò longo tempore, modò, quod diximus, æger obtemperaverit, & diætâ mutatâ in obsequium consentiat debitum, quod & ætas sit vegeta, & natura satis robusta.

MODUM EVENTUS salutiferum asserimus, ablatione & dissipatione causæ morbificæ per medicamenta debita, roboratis contra ea spiritibus, & visceribus mineram hanc excludentibus correctis.

Omni bus igitur remotis ambagibus accingimur ad **CURATIONEM**, cum non consultum sit affectui huic ulteriorem radices agendi copiam permittere, ne postmodum ordinaria eludat respuatque remedia. Utemur hanc in rem genuinâ morborum panaceâ, **MEDENDI METHODO**, quam
tres

tres indicationes absolvunt. **CURATORIA** morbum ipsum in actum deductum, inprimis in paroxysmo, attendit dissipando & roborando. **PRÆSERVATORIA** causam ipsius & radicem per evacuantia & alterantia corrigendam suadet, ut focus earundem penitus extinguatur & removeatur, ne ingruat, nec datâ quâdam occasione malum recrudescat, & inopinatò recidivet. **VITALIS** sollicita est de virium animalium restauratione, & naturalium conservatione.

His indicatis è triplici fonte satisfieri potest, **CHIRURGICO**, **PHARMACEUTICO** & **DIÆTETICO**, depromendo ex singulis præsidia, huic malo & huic subjecto apta.

EX **CHIRURGIA** præsidia petentibus primo statim loco **VENÆ SECTIO**, ceu universale remedium, se offert. Hæc an ægro nostro conveniat quæsitum, putamus, unâ cum aliis eandem locum habere omninò, ut sanguis vaporibus repletus ex parte auferatur, ut halituositas & rarefieri facilitas tollatur, ut motus ad cerebrum major arceatur. Visi sunt vertiginosi hæmorrhagiâ ex naribus vel hæmorrhoidibus factâ curati, consentit ægri robur, ætas & alia. Secari hanc in rem potest pollicaris vena in dextro pede, vel cephalica in ejusdem lateris manu, sanguine ad $\zeta ij.$ vel $ijj.$ emittendo.

ARTERIOTOMIA non opus erit, poterit tamen in auris alterutrius lobo occurrens ramulus quicunque sanguineus incidi, & si malum cedere renuat, vena quoque frontalis hinc secari.

CUCURBITULÆ, V. S. vicariæ, in ejus locum adscisci possunt, tum *humide*, applicandæ scapulis, & brachiis, tum *siccæ*, dorso adhibendæ & nuchæ.

Nec **VESICATORIO** sua laus deerit, ut revellatur serum peccans halituosius, si pone aurem utramque ex cantharidum ordinario magmate, vel emplastro vesicatorio fiat justa applicatio. Successu temporis commodè gestabitur pro renatâ **FONTICULUS**, seu dextro brachio inustus, seu

seu in ipsius cervicis centro. Experiri etiam potest pro lubitu ab artemisiæ lanugine filamentosâ, moxæ nomine hætenus decantatâ, auxilium, factâ circa nucham applicatione decenti.

FRICTIONES quoque insigniter proderunt pro revulsione in partibus inferioribus, pro discussione verò in capite. Videndum tamen, ne quid nimis, ne hoc ipso humores magis ad caput alliciantur. Succedanea his est pectinatio, quæ nec ipsa suo carebit usu.

EX PHARMACIA plurima nobis petenda erunt præsidia, quæ in hoc affectu utramque paginam absolvere valent. Hinc, ut ex singulis loculis, quæ proficere queant, seligamus, mutuabimur primò LENIENTIA *ἐκνοπεωλικά*. Ita enim promovebitur scybalorum & flatuum crassiorum ex primis viis exitus, nec ipsorum remorâ chymus inquinabitur, facili ad caput redundante noxâ.

R. Ræ *Ætis laxativ.* ʒij. D. in vitr. S. *öffn- und Lind-*
Sinctur.

R. M. P. *ear Schröder. marocostin. Minder.* a. ʒj.

Ræ *Æri par.* M. F. l. a. pil. minores pro quatuor circiter dosibus dandæ. S. *Lindpillen.*

R. *pil. Alium lenitiv.* ʒj. D. in pyx. S. *Lindpillen / Dos. n.*
xij. xv. semel vel bis in hebdomade.

PRÆPARANTIA, tanquam alterantia generalia, his jungimus, quibus & humores vitiosos corrigere licebit, & ad exitum disponere segregandos.

R. *hepat. rubr. Dresd. rad. ari ppt.* a. ʒß.

eleosacch. anis. ʒß. M. D. in ch. S. *Digestivpulver auff*
drey mahl.

R. *M. S. antisc. essent. fumar. Æ liqu.* a. ʒj.

arcan. ʒj. M. in vitro. S. *Digestivessentz.*

R. Ræ *Æ volat.* ʒij. D. in vitro. S. *Haupt- und Milch-*
Sinctur.

R. Ræ *Æ c. arc.* ʒj. S. *öffnende Sinctur.*

Fluxilibus humoribus redditis, & viis expeditis, se-

quuntur **E V A C U A N T I A**, tum *ἄνω*, quod biliosa amurca
facile sic educatur, unde & *Cous* vertiginem inter indicantia
vomitum refert 4 *apb.* 17 quo recte commodè excutietur ma-
lum, præcipuè cum nullum se offerat prohibēs, vel pulmonum
debilitas phthifica, vel alia; tum *κατω*, ut, saburrâ cacochy-
micâ eductâ, tum primæ culinæ resplendeat purius focus,
tum massa sanguinea dephlegmata spirituum fabricæ, ut
prius, vacet, nec hi tam facile undecunque turbentur.

Rx. M^o *Prear.* gr. x. *emet.* gr. iij.

elix. purg. parum. M. F. pilulæ vij. D. in pyx. S. Ma-
genpillen.

Rx. M^o *de hierâ cum agarico* 3ß. *scammon. rosat.* gr. vij.

emet. gr. j. *calam. aromat.* g. ij. F. l. a. pilulæ.
S. Purgierpillen.

Pilulæ scilicet cum diutiùs in ventriculi cavitate remo-
rentur, faciliùs ac feliciùs materiam peccantem educere
possunt.

Rx. *pulv. laxat. veget.* 3j. *res. gialap.* gr. iv.

cinnab. nat. gr. v. M. S. Purgierpulver auf einmal,

Rx. *rad. gialap. resinos.* 3j. *scammon. 4rat.* gr. v.

3ii diaph. non edulc. gr. vj. M. S. ut suprà.

Rx. *rad. cichor. peon. acetos.* a. 3ij.

fol. meliss. salv. beton. a. mß.

fl. anth. lil. conv. a. pij. *spic. Ind.* 3iß.

sen. Alex. s. s. 3ß. rhab. Al. mechoac. a. 3j.

costi ver. caryoph. arom. a. 3j. *cryst.* 3iv. Conc. cont. D.

in find. rubr. & chart. S. Species zum Laxier Wein.

C L Y S T E R E S quoque, ubi intestina scybalis induratis
constipata & materiâ lentâ, viscidâ, pituitosâ referta sunt,
adhiberi possunt, ut eorum beneficio emolliantur & ad exi-
tum cogantur, viscosa enim & indurata recrementa vix me-
lius quàm clysteribus removeri possunt.

Rx. *herb. s. emoll.* a. mj. *marrub. beton.* a. mß.

agar. trochisc. in petiâ ligat, 3ij.

fem.

sem. fœni gr. lini an. ʒiij. anis. ʒj.

Coqu. in f. q. ▽ font. In Colat. ʒj. dissolv.

elect. bened. laxat. ʒß. mellis anthos. ʒiij. M. F. Clyster.

DIAPHORETICA tum absorbendo, tum resolvendo & fluxiles reddendo humores, maximo cum emolumento quoque in usum trahi possunt, idque tantò magis, quod ferosi halituosi humores in corpore abundant, & *ἐν τῷ* in brachio moliti sint, neglectius tractati. Divertent & dissipabunt commodè per poros cutis, itaque liberius præstabunt caput.

R̄. ʒ diaphor. ʒß. bezoard. Dis g. vj.

cinnab. ʒiij g. iv. M. F. pulv. D. in ch. S. Schweiß Pulver auf einmal.

R̄. R̄e bezoard. volat. ʒij. ~ Ol. ceph. ʒiß. M. S. Schweiß Tinctur.

R̄. ▽ bardan. comp. card. bened. samb. a. ʒj.

mistur. simpl. cephal. ʒj. extr. doron. ʒß.

sir. acetos. citr. q. f. M. F. Haustus. S. Schweiß Träncklein.

DIURETICA insigniter aperiendo insigne quoque momentum curationi addent; ita enim venarum amurca magis abstergetur, ita hypochondria magis libera suo fungentur in subditis visceribus officio illibata.

R̄. arcan. dupl. M. ʒij. magist. oc. ʒ. ʒj.

⊖ vol. succ. gr. vj. M. D. in ch. S. Treib- und öffnend Saltz.

R̄. R̄e silic. Glauber. ʒij. D. in vitr. S. öffnende Tinctur.

R̄. R̄e ♀ compos. essent. succin. alcal. a. ʒj. S. u. f.

ALTERANTIA & confortantia sequuntur, ut robur capiti suum redeat, & causa morbifica omnis conticescat, tum internè in usum vocanda, tum externè.

R̄. specif. cephal. Quercet. vel Mich. ʒj.

smaragd. ppt. saphir. ppt. a. ʒß.

ungul. alc. ppt. ʒj. M. D. pro 5. Dof. S. Stärckendes Pulver.

- Rx. pulv. cephal. March. 3j. cinnab. nat. 3ß.
spec. de hyac. ʒj. M. D. in ch. S. u. f.
- Rx. mag. corall. perlar. ritè ppt. a. ʒj.
fl. cinnab. nat. 3j. M. D. in ch. S. u. f.
- Rx. rad. doron. ppt. 3j. stercor. pavon. ppt. ʒij.
sem. coriandr. ppt. 3ß. fol. belleb. nigr. 3iß.
eubeb. succin. alb. corallior. ppt. a. gr. xv.
℞ salv. macis a. gtt. ij. sacch. perlat. ad p. o. M. F. pulv.
D. in scat. S. Stäreepulver.
- Rx. pulv. absorb. 3j. fragm. lap. 5. pret. a. ʒ. v.
visc. colurn. ppt. ʒj. cinnab. ʒ. gr. xv. M. D. in ch.
S. u. f.
- Rx. spec. diamb. 3j. fecul. pæon. cran. hum. ppt. a. ʒß.
℞ majoran. gtt. ij. M. D. pro 4. Dof.
- Rx. ess. succin. lign. aloes, castor. a. 3j.
℞ cinnam. gtt. ij. M. D. 30. gtt.
- Rx. ▽ pæon. fl. til. ceras. nigr. a. 3j. lavend. c. v. epilept. Lang. a. 3ß.
~ ceph. ʒl. Ræ fl. pæon. a. 3j. sirup. de beton. q. f.
D. in fict. S. Stäreeträncklein.
- Rx. ~ lil. convall. 3j. ʒli cephal. *ci □si a. 3ß. M D.
30. gtt.
- Rx. elix. cephal. Mich. 3ij. D. in vitr. S. Hauptelixier.
- Rx. essent. ʒ balsam. succin. a. 3j. ~ ʒl. ceph. ʒj. M. in vitr.
S. Haupt-Tinctur.
- Rx. extr. ladan. specif. cephal. a. 3j.
℞ spic. gtt. j. M. F. l. a. pikulæ, inaur. D. in pyx.
S. Hauptpillen.

EXTERNAE etiam non temnenda, balsama, cucuphæ,
odoramaenta, & similia topica.

- Rx. ess. fl. lavendul. 3ij. rorismar. 3j.
~ rut. essentif. ʒij. M. D. in vitro. S. Hauptmixtur.
- Rx. fol. rosmar. majoran. puleg. serpill.
basit. polii mont. meliss. organ. a. 3j.
flor. anth. lil. conv. stoeck, Arab. rosar. a. 3ß.

rad.

rad. cyper. rotund. irid. Fl. succin.

oliban. lign. rhod. a. Θiv. ambr. mosch. a. gr. iv.

Incis. & contus. M. c. interpass. ex sindone rubr.
F. Cucupha.

R. ∅∅ *nucist. express. 3℞. rutæ, majoran.*

salv. puleg. spic. lign. rhod. succin. a. gtt. iv.

*bals. Peruv. 3℞. M. F. l. a. balsamum, illinendum
bregmati & temporibus.*

Restat DIÆTA, non minus in hoc affectu, ac ex
pharmacîâ vel chirurgiâ curatio, necessaria, quæ triplex est:
naturalis, vitalis & animalis.

In NATURALI CIBOS vitet *δυσπέψις* & ventriculo
ingratos, eligat verò concoctu faciles & *εύχυμς*, qui corpori
apti sunt bonum conferre succum, particulas habent *γλι-
ξεύς*, alibiles, dulces & nutritioni aptas. Exulet crapula,
& errores diætæ absint, vitentur omnia cruditates causantia.
Monitum Hippocrat *l. de vet. Medic. c. 19. t. 27* amplectatur, pran-
deat, imò jentaculum sumat, ut ventriculus habeat quod agat,
nec molestia percipiatur. Potus sit cerevisia probe defecata,
nec recens, nec vetusta nimis. Vinum bibatur parcius & *ὀλιγο-
πόεον*. Vinum enim particulas turgidas & effervesce-
re aptas reddit, quæ halituositatē suâ spiritus extra ordinem
movendo vertiginem facillè accersunt. Tabaco planè vale-
dicat, ne fumo ejusmodi virulento amplius hausto spiriti-
bus motum peregrinum inducat.

In VITALI, AER sit lucidus & temperatus, ad cali-
dum & siccum maximè vergens. Frigidum, austrinum, plu-
viosum, nocturnum, utpote crassiorē & impuriorem, fu-
giat quantum possibile, & corpus muniat, ne recrudescat
exindè malum, cū teste *Coo 3. aph. 23*, frigus morbum præ-
sentem inducere possit.

In ANIMALI, potius QUIETI, quàm MOTUI nimio
indulgeat, ne tamen & exindè sequatur incommodum, quie-
tem & motum alternando observare fas erit.

SOMNO corpus, quantum decet, reficiat, & sit modus in vigiliis & somno, ne nimio hoc spiritus reddantur torpidiores, nec illâ magis citentur in motum & efferi fiant; lucubrationes & nocturnas vigilias non necessarias evitare semper studeat.

EXCRETORUM nullus reticeatur defectus, ne obstructionibus præsentibus per consensum reliquæ corporis partes afficiantur, & malum regressum moliatur, hinc curâ adhibitâ interdum lenientia propinare præstabit. VENUS, quia caput debilitat, sit rarior. Quibus ritè observatis exoptatum speramus finem.

SOLI DEO GLORIA.



Non unquam vertigo tuis felibus ausis

Illaque nec studiis irrequieta fuit.

Edocet hoc clarum, quod de Vertigine, scriptum.

Hoc Tua clarescit nomine fama tuo.

*Laudabilibus conatibus Præeximii
Dn. GERBERI adplaudit*

RUD. VVILH. Grauß / D.
Prof. P.

Quod

Quod vortex in aquis, hominis
vertigo vocatur,
tramite cum recto non fluit
unda suo.

Vortice submergi facile est, vertigine
tollī,
quando, quod signat prodromus,
omen adest.

Tu placidum reddens laticem, decur-
rat ut æquus,
nec lapsum incutiat, laude decente
micas.

Gratulab. scribeb.

PRÆSES.

Non obstat *vertigo* tibi, qui mente laboras
intrepidâ studium continuare tuum.
Quid causæ ergò, quod indagas *vertiginis*
ortum?

unde tibi docto docta cathedra patet?

Tendis, ut hæce probent omnes conamina docta,
ut videant, humeri quid valucre tui,

Gra-

Gratulor & voveo, Deus ausus holce secundet,
ac dignus studiis inde resurgat honos!

*Singularis benevolentia causâ Nobil. Dn. Re-
spondenti, Medicina Studioso perindustrio,
Amico dilectissimo hæc scrib.*

Augustinus Henr. Faschius, D.
Prof. Publ.

Miratur studium Gerberi nostra Salana;
Ingenium ex scripto patria clara videt.
Illa ipsi tribuat mox præmia digna laborum;
Hujus amor multas conferat æquus opes.

*Hisce Nobiliss. atque præstantissimo Dn. Respondenti,
Fautori atque Amico suo honoratissimo de egre-
gio eruditionis specimine animitus gratulatur*

Joh. Adrianus Slevogtius, D.

F I N I S.